

terras, urbes, cultos agros incendiis vastant et populantur. Poema in obscuram morborum pestiferorum descriptionem desinit, quibus gravissime conflictantibus pernicioseque vexantibus, brevi tempore ad exitium civium omnium extremum fere Athenae redactae sunt.

XXII. Grave plenumque Lucretii poema est, reconditisque epicureorum inventis, quae ad rerum omnium naturam pertinent, non minus refertum quam gravibus nobilissimisque sententiis ornatum, quas ipse ex intimo animo exhaurit. Sapientium illorum effata non adumbrat modo, tamquam in tabula quadam sine coloribus, in qua lineamenta figurarum solum cernantur, neque cursim aut leviter attingit, sed ea disserendi copia, ubertate, subtilitate pertractat, ut nullo pacto aut illustrior aut plenior explicatio desideretur. Nihil, quod ad rem suam conducit, aut silentio praeterit, aut paucioribus absolvit verbis; omnia vi et incitatione orationis, quasi oratoris, docet probataque explanat. Neque ab indagandis obscurissimarum rerum causis aut egestas patrii sermonis, quam se sane novisse profitetur, eum distinet, aut rerum ipsarum dignitas prohibet. Ipsa argumenti subtilitas ita ingenium acuit, ut non verba ad sensus exprimendos opportuna tantum inveniat, sed sententias modo luminibus exornet et distinguat, modo, umbris quasi offusas, in tenebris occultet, modo vividioribus coloribus et luce collustret. Sunt enim in Lucretii poemate, velut in vermiculato emblemate, clara iuxta obscura posita, opaca nitidis, horrida laetis immixta. Ne quid autem perennis rerum abditarum expositio aut fastidii aut satietatis faciat, mirum in modum a proposito declinans, multifariam nexum variat et renovat. A philosophorum enim doctrinis in res minores devertit, easque in poematis contextu, velut embolia quaedam mirifica, inserit et includit, ut legentium mentes ratiocinationibus subtilibus defessas poetico melle erigat, et in itinere propter nimium solis ardorem sitientes lymphis ex puro fonte manantibus recreet atque reficiat.

*Mira et  
expleta re-  
rum abstru-  
sarum per-  
tractatio*

*Embolia mi-  
rifica et  
deverticula.*

XXIII. Innumerabilia fere deverticula sunt, quibus, iter ab ordine rerum abstrusarum deflectens, contextum variat atque exornat. Exordium in primis, quo Venerem aliam, cui adventanti *suavis daedala tellus summittit flores, rident aequora ponti, placatumque nitet diffuso lumine caelum*, suavissimis verbis precatur: Martem aliquando, in sinu suo tandem recumbentem devinctumque vulnere amoris, luctibus aestuantem placet, ut, quoniam *belli moenera regit*,

Lib. I. vers.  
1-43.

*Per maria ac terras omnis sopita quiescant*

bella, placidaque Romanis pax reviviscat. Pulcherrimi quoque loci sunt illi duo, in quorum priore scelerosum Iphigeniae, virginis innocentis, sacrificium describit, quam pater ad deos iratos placandos impius immolat, in altero autem Phrygias catervas mutum Cybeles signum per urbem superstitiose circumferentes depingit. Variandis quoque rebus prospicit cum in descriptione rerum versatur: agrorum, qui post imbres herbis, floribus, frugibus virent; ventorum, qui naves obruant, nubila verrunt, minaci murmure saeviunt; vitulae, quae loca circumspiciens fetum ante turicremas aras quaerit mactatum; rerum aliarum, quas ex imitatione naturae ad veri similitudinem exprimit. Aliis autem locis Epicurum et Empedoclem maximis laudibus cumulat, incredibili affectus eorum sapientiae admiratione, non minus quam animi, quod alter contra deos primus eorum timore liberatus metuque, oculos tollere ausus sit, ut e tantis religionis tenebris clarum lumen erueret, omnesque luce sua, aetherii instar solis, sapientes offuscaret; alter vero quod, quae divino pectore animoque repererat, ita apertis elatissimisque carminibus ad homines veri ignorantia laborantes unus elocutus sit,

I., 84-101;  
II., 598-641.

I., 250-264;  
I., 271-295;  
II., 352-366.

I., 62-79;  
III., 1-14 et  
1040-1043;  
VI., 1-41;  
I., 716-733.

*Ut vix humana videatur stirpe creatus.*

Cum vero a subtilioribus philosophiae quaestionibus, quae ad naturam pertinent, ad praecepta de hominum moribus



tradenda se vertit, tum *laudis thyrsos percussus avia Pieridum loca nullius ante trita sola peragrat*. Malorum omnium, quibus mortales vexantur, causam metum mortis esse contendit, quae ita illos terret, ut nullam puram liquidamque voluptatem permanere sinat. Ex mortis timore divitiarum et honorum cupido nascitur, quorum auxilio homines a vitae necessitatibus se subtrahere posse credunt; ex illo caedes et bella, quae bellis novis caedibusque civili cum sanguine accumulatur. Inde parentum, amicorum, consanguineorum proditiones et odia originem ducunt; ex eadem mortis formidine in multis vitae et lucis taedium oritur, quod homines impellit ad letum maerenti consciscendum pectore. Pulcherrimi etiam loci sunt, in quibus vel multa de illecebris amoris et amantium poenis Socratica dissimulandi ratione facete simul et vere disputat; vel homines miseriorem infelicioremque quam cetera animantia, vitam in miseris saeculis agere docet; vel animo vehementissime angitur et cruciatur, quod hominum genus, ut se sordida rudique vivendi ratione liberaret, cum liberam in silvis beatamque atque omnibus legum vinculis solutam vitam ducere posset, in coetus et civitates se, nullo cogente, collegerit, neque porro aliud egerit nisi quod, iucunditate vitae sublata, sempiternam infelicitatem sibi stultissime adiunxerit. Poema, quod toto contextu gravissimum est et multis locis moestissimum, tristissime desinit. In extrema enim eius parte Lucretius pestilentiam describit quae Athenas depopulata est; etenim sicut in poematis exordio vitam ex amoris sensu nascentem vividioribus coloribus nolens quasi adulescens ignarus depingit, ita ne se ipsum neve alios inani bonorum expectatione decipiat, in postremis carminis versibus interuicium hominum sub oculos ponit, ut curriculum vitae nihil aliud esse quam properationem ad mortem et ad nihilum cursum ostendat.

XXIV. Inest triste nescio quid in poemate et quasi in versibus latet, ex quo infinitus moeroris et doloris sensus

percipitur, qui tamen minus fletum et miserationem movet, quam aequabili hominum sorte et communium contemplatione ipsa malorum delectat. Ita poeta modo solacium per immutabilia siderum spatia quaerens, nullis limitibus definita, cogitatione pererrat, ut infinitate ipsa et silentio gaudeat; modo de hominum condicione ita loquitur, ut propter conjunctionem animorum mortalium in dolore, quam Graeci « συμπάθειαν » vocant, quae ipse sentit et patitur, nos quoque sentire et pati cogat; modo nos ipsos secum, cum malis omnibus liberare contendit, in contentionem virium omnium trahit et excitat. Qui Lucretii carmina legit eadem perenni aegritudine tenetur ac ipse; eodem vitae taedio, angore cruciatur; eadem ratione mortem, ut solacium extremum et malorum finem, cupit et expectat.

*Doloris sensus et vitae taedium.*

Satis idoneam ad dolorem levandum Epicuri Empedoclisque sapientiam ratus, eam Romanorum primus ita interpretatus est, ut sine deformatione perfectus eorum discipulus evaserit. In poemate tamen spirat Lucretii mens; in eo vitam ipse immortalem producere posse sperat. Ob quam laudem carmen in primis egregium habetur. Quod si in rerum contextu et compositione maior partium convenientia et consensus non desideraretur, tantumque vitae tempus Lucretio suppeditasset, ut orationem et versus perpolire potuisset, nullum fortasse in litteris Latinis non gravitate tantum sententiarum et pondere, sed arte et verborum ornatibus, hoc praestantius fuisset poema. Nam multa in eo sunt quae vel redundant, vel saepe repetuntur, vel iterum recurrunt; item numeri ac versus nonnulli neque ad sonum undique expleti neque ad artem exacti reperiuntur. Dicendi genus admirabile quidem et facile ad exprimenda abstrusa philosophorum inventa; sed verbis nonnullis saepe vitiatur, quorum alia obsoleta et perantiquiora sunt, alia nova et a Graeco sermone deprompta, alia nimia licentia novata, alia ad eius voluntatem excusa, alia denique obscura. Parum tamen

*Orationis genus*



Cic. II. ad  
Quint. fr. 11.

Quint. X.  
Inst. I. 87;  
Ovid. I.  
Amor. 15. 23.

haec laudi Lucretii obstant, qua re a veteribus scriptoribus eum saepissime commendatum videmus. De iudicio, quod Cicero tulit, fit inter eruditos controversia; incerta enim est loci lectio: « *Lucretii poemata, ut scribis* » ad Quintum fratrem rescribit « *ita sunt multis luminibus ingenii, non multae tamen artis* ». Quibus verbis id quod et nos quoque hic notamus, notare Cicero voluisse videtur, hoc est poema propter immaturam Lucretii mortem non fuisse perfectum. Ex antiquis scriptoribus Ovidius et Quintilianus quam plurimum eum laudant: hic enim, poetarum omnium existimator acerrimus, elegantem in sua materia quamvis difficilem vocat; ille quosdam poematis versus de rerum natura ad sententiam suam explicandam ita adhibet, ut Lucretii carmina immortalia in posteritatem omnem futura esse praenunciet:

*Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,  
Exitio terras cum dabit una dies.*

#### D. LABERIUS ET P. SYRUS MIMOGRAPHI

XXV. Petulans ac lascivum fabularum genus, quod Graeca voce *mimus* nuncupatum est, quia ad movendum risum alienos mores imitatione exprimebat in scaena, tragicis comicisque fabulis magis magisque desidentibus, ad eam perfectionem et artem Ciceronis aetate pervenit, ut non multitudinis tantum favorem retinuerit, sed clarorum quoque virorum gratiam sibi conciliaverit. Quamobrem, cum superioribus saeculis infames improbisque moribus habiti essent, qui histrionicam artem exercuissent, hoc tempore contra tanto in honore esse coeperunt, ut eorum nonnulli ingentes divitias, honores, dignitates, sacerdotia sibi comparaverint. Ex his Q. *Roscius Lanuvinus* et *Aesopus* fuerunt, quorum prior usque eo excellentiae in histrionica arte pervenit, ut et de ea praecepta in libro traderet, in quo histrionicam eloquentiae

contulit atque comparavit; et Ciceronem in pronuntiatione gestuque exerceret; atque etiam quicumque in aliqua arte excelleret, is in suo genere *Roscius* diceretur; ideo eius ob mortem civitas universa dolore commota est. Aesopus autem, qui Ciceronis amicum fuisset constat, tantas opes cumulavit, ut filium ditissimum reliquerit. His aetate posteriores praestantes eadem in arte fuerunt *Bathyllus*, quem Maecenas dilexit; eiusque aemulus *Pylades*, cum quo, facile variantibus vulgi studiis, ille magna contentione certavit. Mimus igitur vetus, qui spectaculi novandi producendique causa, vel embolii instar fabularum partibus interiecti, vel ut exodium ad exhilarandos animos post illarum conclusionem prodire solebat, remotis actionibus ceteris, ut caput in scaenas invasit. Cum vero nulla ante Ciceronis aetatem fabula constitutione vel partium successione constaret, quarum aliae aptae et necessario connexae ex aliis penderent, neque in exitum cum illis congruentem concluderetur, postquam theatrum unus occupavit, ad formam mimus expletam atque ante definitam partium compositionem redigi et scriptitari est coeptus. Res, quae agebantur, communem hominum vitam, parvis veluti in tabulis vividioribus coloribus pictis, mimi ita exprimebant, ut festivitate et facetiis, iocis ludisque, obscenitatibus risum cachinnosque concitarent. Cum vero ex huius spectaculi consuetudine, partium actores, nulla persona visum tegerent, neque cothurnos aut soccos induerent, quod quidem insignius videbatur, *planipedes*, vel etiam *excalceati*, nuncupati sunt. Peculiari veste mimi ornabantur — tunicis ad imaginem illius sanniones nostrates hodie quoque interdum vestiuntur — quae, cum quadratis pannulis versicoloribus in unum sutis componeretur, *centunculum* dicta est. Mimae autem, mulierculae, puellae, quae feminarum personas suscipiebant, *ricinium* induebant togae virili simillimum angusto clavo purpureo praetextum.

*Cic. I. de Nat. Deor. 28; II. de Orat. 57; pro Arch. 8.*

*Cic. IV. Tusc. 25; I. de Div. 37; Plin. IX. Nat. Hist. 35. 39; Tac. I. Ann. 54.*

XXVI. In mimis conscribendis D. Laberius et P. Syrus



Macr. II.  
Satur. 7; Suet.  
Caesar. 39.

versati sunt, qui quidem etsi, ut delectarent, neque verbis, neque obscenis rebus sese abstinerent, actionem pulcherrimis multis gravissimisque sententiis ornaverunt, quibus vitia carperent, virtutem docerent, mores castigarent. D. Laberius igitur, eques Romanus, asperrimae libertatis mimographus fuit. Nam cum Lucilium in scaenis imitandum sibi constituisset, nulli civium ordini pepercit, immo verbis quemque insolentissimis adgressus est. Sexagenarius iam, ut Macrobius atque Suetonius referunt, a Caesare dictatore in scaenas prodire coactus est, ut mimos ipsemet ageret, quos scriptitare tantum consueverat. Quod cum senis equitis repugnare dignitati censeret, ut iniuriam sibi factam ulcisceretur statim, occasionem nactus, simulans se servi cuiusdam in scaena partem agere, qui virgis se verberibusque domini irati eriperet, theatra suspicatus tecta significatione Caesarem mordens:

*Porro, Quirites, libertatem perdidimus!*

patienter et molliter exclamavit; et paulo post praeclarius:

*Necesse est multos timeat quem multi timent!*

Sen. II. de  
Ira 15.

dictatorem ipsum gravior contuens addidit. Post mimum actum nihilominus Caesar e vestigio in quartum decimum ordinem sessum eum ire iussit, ut inde honoris causa Syrum spectaret, qui mimum alium certatim erat acturus. In illo ordine multi sedebant — nam Caesar cives multos, quibus gratiam referret, quod secum in bello civili stetissent, in senatum legerat — qui ita se coartaverunt, ut senem venientem non acciperent. Cicero, qui aderat, in utramque rem iocatus Laberium transeuntem conspiciens: «*Recepissem te*» ait «*nisi anguste admodum sederem*»; quo cavillo Caesarem notavit, quod hominibus novis senatum replevisset. Tum Laberius non minus lepide iocans, vel ita sentiens, «*Mirum*» inquit «*si anguste sedes, qui soles duabus sellis sedere*»

perinde ac si eum levitatis insimularet, quod modo in unam modo in alteram civium partem inclinasset. Peracto spectaculo Caesar, versu ex improvise factitatio

*Favente tibi me, victus es, Laberi, a Syro*

inquit, palmam deferendam esse Syro significans et dolorem per simulationem ostendens; nihilominus quingentis eum nummis aureoque anulo donavit.

XXVII. Mimorum titulos, qui Laberio ascribuntur, ad sexaginta novimus, ut « *Compitalia* » et « *Saturnalia* », qui diebus festis esse peractos indicant; ut etiam « *Aquae calidae* » et « *Lacus Avernus* », ex quibus eos publicis in balneis conventu hominum frequentatis editos inferimus; alii vero contra rem ipsam revelant, ut « *Piscator* » atque « *Salinator* »; ut « *Virgo* » et « *Hetaera* »; ut « *Nuptiae* » ut « *Sorores* » ut « *Gemelli* »; ut ceteri denique huiusmodi. Ex Laberii mimis multa fragmenta supersunt, quorum alia uno tantum, alia duobus vel tribus, alia denique multis versibus constant. Festivitate, lepore, humanitate, iocis, argutiis urbanis salibusque sententiae condiuntur; at etiam turpibus obscenisque rebus abundant. In proverbii consuetudinem venit illud satis argute dictum:

*Ab alio expectes alteri quod feceris*

et etiam quod acriter in mortuorum heredes reliquit:

*Heredis fletus sub persona risus est*

quamquam, de cunctis hominibus cum prolatum sit, praeter modum intemperans videtur. Nimiam Laberii licentiam novis in fingendis verbis Gellius notat, quorum in exemplum praeter alia « *mendicimonium* » affert « *moechimonium* » « *manuatus est* » quae ad arbitrium excusa, pro « *mendacitatem* » pro « *adulterium* » pro « *furatum est* » primus in litteris adhibuit.

*Cell. XVI.  
Noct. Att. 7*



XXVIII. Publius, praestantissimus mimographus alter captivus ex Antiochia cum in Italiam venisset, unde Syrus appellatus est, libertateque donatus esset a domino, mimos in municipiis Italicis agere coepit. In ludicra arte tantam sibi laudem peperit, ut Romam a Caesare accitus, cum Laberio contenderit. Non minores numero mimos hunc scripsisse, quam illum, censemus, etsi duo tantum eorum tituli «Mumurco» atque «Putatores» traditi sunt. Supersunt sententiae multae et oppido lepidae, quae in communem sermonum usum commodumque ab erudito quodam collectae circumferuntur. Ex his aliquot sunt singulis versibus circumscriptae, quas, cum Publii animum redoleant, iuvat recensere :

*Beneficium dando accepit, qui digno dedit.*

*Aliena nobis, nostra plus aliis placent.*

*Aut amat aut odit mulier, nihil est tertium.*

*Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.*

*Ita amicum habeas, posse ut fieri hunc inimicum putes.*

*Malum consilium est, quod mutari non potest.*

*Est vita miseris longa, felicibus brevis.*

*Veterem ferendo iniuriam, invitas novam.*

*Desunt luxuriae multa, avaritiae omnia.*

*Ab alio expectes alteri quod feceris.*

*Comes facundus in via pro vehiculo est.*

Attamen nonnullas istarum translaticias credimus, nam verisimile est ascriptas interdum sententias Syro fuisse, quae aliis ex fontibus in proverbii consuetudinem provenissent.

Cic. VII. ad  
Fam. -11. 2;  
Prisc. II.  
Gramm. Lat.  
pag. 200.

Addi potest huc etiam mimographus tertius, Valerius nomine, de quo mentio est apud Ciceronem, qui eum sodalem suum appellat, cuius etiam a Prisciano titulus mimi unius

«*Phormio*» traditur. De hoc tamen nihil aliud adhuc nobis proditum invenimus apud ceteros antiquos grammaticos.

## POETAE LYRICI MINORES

XVIX. Paulo ante Ciceronis aetatem genus carminum lyricorum, quod multos annos post Andronicum et Tegulam iacuit, gradatim ad perfectionem ascendere coepit. Hoc tempore enim, praeter Porcium Licinium, Lutatium Catulum, Quintum Attam, quos in libro superiore recensuimus, in epigrammatis condendis *Valerius Aedituus* versatus est, cuius versus non modo cum Latinis, verum etiam cum Graecis conferre solebat Iulianus rhetor et anteferre. Ex his duo exstant apud Gellium; unum molle quidem tenerumque ad puellam quandam Pamphilam nomine :

*Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis  
Quid mi abs te quaeram? Verba labris abeunt,  
Per pectus miserum manat subito mihi sudor;  
Sic tacitus, subidus, duplo ideo pereo.*

alterum speciosa quadam verborum exaggeratione plenum ad Philerota, quem e nomine amoribus deditum esse liquet :

*Quid faculam praefers Phileros, qua nil opus nobis?  
Ibimus, hoc lucet pectore flamma satis.  
Istam non potis est vis saeva extinguere venti,  
Aut imber caelo candidus praecipitans.  
At contra hunc ignem Veneris, ni sit Venus ipsa,  
Nulla est quae possit vis alia opprimere.*

Cum poetis his etiam *Furius Antias*, *Cn. Matius*, *Nin-nius Crassus*, de quibus paulo supra locuti sumus, per occasionem carminibus lyricis operam dederunt.



XXX. In carmina vero lyrica se ex professo contulerunt poetae duo clarissimi *Laevius* et *Suevius*, quorum uterque non apud aequales tantum, verum etiam apud posteritatem multa nominis fama percrevit. Illius nomen ita ab amanuensibus corruptum est, ut modo *Laevius* aut *Laelius* aut *Livius*, modo etiam vel *Naevius* vel *Nonius* in codicibus antiquis legatur. Ceterum omnia de eo incerta sunt; nam ut dubium nomen est, ita etiam et familia et patria obscura; immo, iudiciis omnibus fallentibus, ne aetas quidem, in quam incidit, pro certo adhuc statui potuit. Amores suos, quibus iuvenis arsit, versiculis variis commisit, quos « Ἐρωτοπαίγνια » hoc est amoris lusus inscripsit. Rem tamen non amoribus suis continuit; heroum quoque amores prosecutus est, quod ex fragmento colligimus a Prisciano alligatum:

*Andromacha per ludum, manu*  
*Lascivula ac tenellula*  
*Capiti meo trepidans, libens*  
*Insolita plexit munera.*

Fuerintne igitur carmina omnia amoris lusus et nugae, an poemata longiuscula in ambitu unius rei contexta, affirmare aut negare non ausim, quamquam nonnulli ex librorum numero, qui sex fuere, fabulas et narrationes perenni nexu metricae similitudine expositas esse credunt. In re incerta, ut fieri solet, contra alii stant, quibus ratiocinationibus nescio, arbitantes eum nulla argumenti perpetuitate esse usum. Hoc unum tamen constat et patet ex fragmentis oppido paucis, quae ad nostram memoriam venerunt, obscena atque turpia honestis praetulisse. Implicatum orationis genus, priscis obsoletisque verbis odiose ornatum, idemque novis vitiatum, adhibuisse ex Gellio comperimus, qui istorum multa recenset et notat. Grammaticorum ceterorum silentium *Laevium* esse assecutum famam rerum potius novitate et lascivia, quam carminum condendorum arte, nobis inferre suadet.

Cum eo Suevius fuit, quem virum fuisse longe doctissimum atque carmen composuisse ad genus illud pertinens Macrobius testatur, quod « εἰδύλλιον » appellatur, in quo domesticum quid et familiare descriptum rusticanis et poeticis fere coloribus depingitur. « *Moretum* » enim eius Macrobius nominat — a quo Virgilius carmen, si suum reapse est, quod cum ceteris eius certis plerumque circumferri solet, eodem nomine inscripsit — in quo horti cultorem moretum facientem satis pulchrum in modum repraesentavit.

Macr. III.  
Satur. 18. 11.

XXXI. Lyricis carminibus vero incrementa *Valerius Cato* maxima attulit qui, cum Sullae temporibus pupillus praediis paternis licentia spoliatus esset, Romam venit. Adulentes nobili loco natos tanta diligentia et industria docuit, ut eius schola poetarum officina visa sit ipseque carminum suavitate, qua discipulos mulcere solitus esset, Siren appellatus. Unde de eo versiculi :

*Cato grammaticus Latina Siren,  
Qui solus legit ac facit poetas.*

Suet. Gramm  
11.

Alexandrinorum poetarum studiosissimus in Latinis prolisitatem reprehendebat. Suetonius nobis auctor est eum duo poemata lyrica composuisse, quorum alterum « *Lygidia* » alterum autem « *Diana* » inscribatur. Nonnulli huic nostro etiam poema illud, quod inter Virgiliana « *Dirae* » inscribitur, tribuendum esse putant; in quibus Lilius Gyraldus, qui poema illud huius esse existimavit, quod de *Lygidia* in eo agatur et mentio fiat civilis belli, quo Cato ipse, ut ait Suetonius, patrimonio exutus est. Quod quidem ille ex notitia, quam hic tradit, certo inferri posse contendit; nam in Catonis vita, quam scripsit, libellum nominat, qui « *Indignatio* » inscribatur. Superest Bibaculi epigramma ad Catonem misum lepidissimum et argutissimum :

Lil. Greg.  
Gyr. Postae.  
Histor. dial.  
IV. p. 195.

*Si quis forte mei domum Catonis,  
Depictas minio assulas, et illos*



*Custodis videt hortulos Priapi,  
Miratur quibus ille disciplinis  
Tantam sit sapientiam assecutus,  
Quem tres cauliculi, selibra farris,  
Racemi duo tegula sub una  
Ad summam prope nutriant senectam.*

ex quo, ad extremam senectutem, postquam Tusculanam vil-  
lam creditoribus cesserat, modico contentum gurgustio pau-  
perem inopemque vixisse colligimus; et aliud etiam suavis-  
simum superest, cuius etsi paulo supra sententiam tulimus,  
tamen hoc loco suis verbis referre mihi placet. Est autem hoc  
quoque de non inhonesta Catonis indigentia:

*Catonis modo, Galle, Tusculanum  
Tota creditor urbe venditabat.  
Mirati sumus unicum magistrum,  
Summum grammaticum, optimum poetam  
Omnes solvere posse quaestiones,  
Unum deficere expedire nomen:  
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis!*

XXXII. Ex discipulis Valerii Catonis *Furius Bibaculus* igitur iste fuit, de quo plura poetas epicos recensentes diximus, atque etiam *Licinius Calvus*, de quo eodem loco locuti sumus. Hic tamen lyricorum carminum laude pluris valuit quam epicorum, longe pluris eloquentia. A Seneca et Ovidio ut poeta lyricus maxime probatur — hic enim eum cum Catullo componere non dubitat —; Propertius, de rebus suis loquens, haec de utroque notat:

*Ista meis fiet notissima forma libellis  
Calve, tua venia: pace, Catulle, tua.*

*Ovid. III.  
Am. 9. 61;  
Prop. II.  
Eleg. 25. 4;  
Senec. VII.  
Controv. 19. 7.*

ille autem carmina eius licet iocosa, tamen ingentis animi plena esse scribit. Ex eodem Propertio Calvum novimus Quintiliam puellam adamasse, cuius immaturam mortem in

suis carminibus deflevisset. De eius oratoria facultate alio loco nobis dicendum erit. In umbraculis fortasse Valerii C. Memmii, Tigidam, Cornificium, Cornificiam, huius ipsius sororem, Helvium Cinna, Cornelium Nepotem eruditos suspicamur, vel novam eos illius carminum condendorum rationem saltem esse secutos. C. Memmius Graecis quidem, ut nos Cicero docet, litteris perfectissimus fuit, fastidiosus tamen Latinarum, idemque orator argutus. Cum moribus esset probrosissimis, carmina amatoria ad lasciviam inflexit. Quod quidem etiam Tigidam fecisse patet ex versu, quem de utroque, ut se ipsum defenderet, Ovidius composuit:

*Rebus abest nomen, nominibusque pudor.*

Cic. Brut. 70.  
247.

Ovid. II.  
Trist. 433.

XXXIII. Eodem quoque vitio Cornificius peccavit, quod Ovidius quoque notat; qui quidem Cornificius diversus ab illo esse videtur, cui, ut diximus, critici nonnulli rhetoricos libros ad Herennium ascribunt. Hic enim eius pater fuit, et iudex ita severus et integer, Cicerone teste, ut nullo pacto in lasciviam delapsus esse conici possit. Cornificia contra prima, ut videtur, apud Romanos poetria, a lascivis rebus se abstinuit; eam nam Hieronymus laudat, qui eius epigrammata insignia fuisse tradit. Helvius Cinna a Catullo, cuius amicitia usus est, in primis laudatur. Praeter poema mythicum, quod ante nominavimus, et epigrammata, « *Propempticon Pollionis* » etiam ab eo conscriptum fuisse memoratur, cum Pollio, iussu Antonii, adversus Parthinos, Dalmaticam gentem ferocem, Bruti causae faventem, anno septingentesimo decimo quarto ab Urbe condita cum imperio proficisceretur; quo carmine, ut ex fragmentis colligitur, ei fausta omnia nec non ingentem praedae opumque vim inauguratus est. Gellius eius memorat *poematia* — quae ut in ceterorum poetarum more tunc erat, iocosa eademque amatoria et lasciviora fuisse putamus — eumque neque indoctum neque ignobilem

Cic. II. in  
Verr. 10.

Hieron. Chr.  
ann. 713.

Gell. XIX.  
Noct. Att. 13.  
5.



poetam appellat. Cornelius Nepos denique, de quo, ut rerum scriptore, paulo post locuturi sumus, leviora carmina atque nugae scripsit, quorum mentionem apud Plinium legimus.

## C. VALERIUS CATULLUS

XXXIV. Inter poetas Ciceronis aequales lyricis in carminibus condendis C. Valerius Catullus tantum praestitit, ut, omnium eruditorum hominum consensu, lepidissimus in hoc genere ex Latinis habeatur. Sirmione, in *paeninsularum insularumque ocello*, quae Benaci lacus recingitur undis, in agro Veronensi, amplissimo genere, anno sexcentesimo septuagesimo post conditam Urbem natus est, cuius pater domi suae hospitio Caesarem proconsulem in Gallia Cisalpina accepisse credebatur, tametsi Catullus ipse aliquando in patris hospitem invectus est, ut ex nonnullis, qui exstant, versibus liquido patet. Vixdum adulescens sedecim annos natus, cum ex institutione ingenuorum puerorum versuum fundendorum artem didicisset, amores primos et lusus carminibus lyricis, epigrammatis, iambis committere coepit:

*Hieron. Chr.  
ad. ann. 670.*

*Tempore quo primum vestis mihi tradita purast,  
Iocundum cum aetas florida ver ageret,  
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,  
Quae dulcem curis miscet amaritiam.*

*Carm. 68. vers  
15 et. segg.*

Romam duodevicesimum annum agens venisse videtur, ubi in nobilium hominum coetus Cornelius, eius municeps, eum produxit; ex istorum familiaritate ad omnem usum civilemque vitae cultum vivendi mediocritatem provinciae deduxit. Hortensio, Cicerone, Rufo, eloquentiae principibus, nec non viris in poetica arte praestantibus familiariter esse usum et Valerium Catonem ipsum de litteris cum discipulis disputantem audivisse censemus. In carminibus enim, quae post

hoc tempus composuit, Alexandrinorum poetarum studium deprehenditur, etsi versus ex variis animi motibus ortos per occasionem etiam tum scribere non intermiserit. Mollis ingenio idemque natura delicatus voluptatum deliciarumque cupidissimus, sexcentis amoribus indulgens rem domesticam a patre relictam luxu dispersam dissipavit.

XXXV. Cinaedos, ut in turpi hominum consuetudine erat, et meretriculas amavit; miro tamen diuturnoque Clodiae amore flagravat. Hanc, etsi dissimulato nomine, ne agnosceretur, suis in carminibus Lesbiam appellaverit, Metelli Celeris fuisse uxorem constat sororemque P. Clodii Pulchri, tribuni illius plebis turbulentissimi, eandemque feminam illam, cuius indolem et mores, cum pro Caelio causam diceret, Cicero detexit nudatosque nefariae turpitudinis nota eloquentiae igniculis inussit. Cum igitur amori primum amore respondisset, eo gaudio eaque voluptate Lesbia Catullum perfudit, ut eam unam in deliciis haberet, eique tantum viveret, in eam solam amorem atque molliores animi sensus effunderet. At mulier, qua erat natura ad turpissima quaeque proclivi, amantem inconstans abiecit, curis et aegritudinibus amoris confecit. Odio in eam ardens invidiaque laborans, fratris mortem cum cognovisset, qui in ipso aetatis flore fato in Phrygia concesserat, ex Urbe digressus Veronam in villam se contulit, amoris et doloris morsum novis studiis leniorem fieri posse sperans. Ex Alexandrinorum poetarum imitatione poematiis conficiendis se tradidit. Frusta; vulnere confectus, quod ex dilectissimi fratris interitu acceperat, tumulum illius visurus, in Bithyniam cum Memmio praetore contendit, redditisque honoribus, iter relegit, quo se itinere fessus in pulcherrimam villam reciperet, quam Sirmione reliquam ex paternis rebus habebat. Iterum animi agitatione impulsus ne in otio quidem adquiescente, Romam denuo cum venisset, pristinam vivendi rationem cum amicis iniit, ibique carminum gratia multis carus acceptusque, idemque maturitate et

*Carm.* 11, 18,  
23, 24, 25, 48,  
81, 99.

*Carm.* 5. 7.  
51, 68.

*Carm.* 36, 38,  
47, 58, 70, 72.

*Carm.* 101, 4,  
31.



indole non minus quam spe et expectatione laudatus, triginta vix annos natus obiit.

*Varii animi  
sensus, quibus  
Catullus con-  
citatur*

XXXVI. Catulli carmina, quae ad centum sedecim exstant, pro rerum artisque varietate in duo genera dividi solent. Etenim alia ita a Graecis poetis desumpsit, ut vel ea ad verbum fere expresserit, vel liberius ad ingenium suum accommodata conformaverit. Alia contra ex imo pectore hausit, in iisque per occasionem motus animi et sensus depinxit, qui in hominum vitae decurso ex variis eventibus nascuntur. Ad hoc genus levia carmina spectant, quae «*Nugas*» ipse appellare solitus erat, paucis plerumque versibus circumscripta. In his quidquid ipse in animo sentit, candide aperteque notat: nihil gaudii in se animadvertit, nihil aut doloris, aut laetitiae, aut moeroris experitur, irae, odii, anxietatis nihil, quod sua sponte versibus non committat. Voluptatibus vehementer ardens, modo serenanti quadam spe amoris erigitur, nunc autem rerum desperatione meliorum deicitur. Nihil ipse in amoribus constans, amicam eandem nunc blandissimis verbis sibi conciliat, nunc, cum levem volubilemque deprehenderit, maledictis perstringit, cruciat et vexat; eiusdem desiderio flagrat et odio succenditur; si irascitur, hendecasyllabos congregat convocatosque in perfidam conicit;

*Carm. XLII.  
vers. 1..2.*

*Adeste, hendecasyllabi, quot estis  
Omnes undique, quotquot estis omnes.*

*Carmina ad  
Lesbiam*

At in carminibus, in quibus Lesbiam celebrat, venustatis nescio quid inest, leporis, verecundiae. Cum enim in eius amore est, iucunditate divina perfunditur; fit muliebriter ita mitior, ut a Sappho poetria suavitatem gaudeat mutuari:

*Ille mi par esse deo videtur,  
Ille, si fas est, superare divos,  
Qui sedens adversus identidem te  
Spectat et audit*

*Dulce ridentem, misero quod omnis  
Eripit sensus mihi: nam simul te,  
Lesbia, aspexi, nihil est super mi  
[Spiritus ore:]*

*Lingua sed torpet, tenuis sub artus  
Flamma demanat, sonitu suopte  
Tintinnant aures, gemina teguntur  
Lumina nocte.*

*Carm. LI.  
vers. 1.-12.*

Qua amantis animi beatitudine, caelesti fere deorum vitae simillima, etiam si a Lesbia voluptatem quaerat et capiat, ita perfruitur, ita infinito gaudio satiatur, ut nihil potius habeat, nihil aliud cupiat aut expectet, quam omnium oblitus, dum erit in terris, in deliciis et beate et feliciter in amore usque vivat. Ex qua molliter delicateque vivendi cupiditate delentus, in versus illos liquidissimos fertur, qui insatiabile voluptatis desiderium et sitim, quibus ipse ardet et cruciatur, neque occultant neque simulant:

*Vivamus, mea Lesbia, atque amemus  
Rumoresque senum severiorum  
Omnes unius aestimemus assis.  
Soles occidere et redire possunt:  
Nobis cum semel occidit brevis lux,  
Nox est perpetua una dormienda.  
Da mi basia mille, deinde centum,  
Dein mille altera, deinde secunda centum,  
Dein usque altera mille, deinde centum,  
Dein, cum milia multa fecerimus,  
Conturbabimus illa, ne sciamus,  
Aut ne quis malus invidere possit,  
Cum tantum sciat esse basiorum.*

*Carm. V.*

Omnia puellae adamatae Catullum movent, omnia conturbant; sensibus et gaudii et doloris exultat et opprimitur



iiisdem, quibus illam affici videt. Quo enim animo est et molli et a natura bene conformato, variis intimisque sensibus, iucunditate et laetitia in prosperis rebus, dolore et pietate in adversis, vehementer afficitur. Cum Lesbia ridente ridet et gaudet, cum eadem dolore turbata tristissime moeret et luget. Incredibili verborum lepore atque gratia res parvas illustrat, si connexionem aliqua in mentem amicae imaginem excitant. Insignia sunt in hoc genere carmina duo, paucis versibus circumscripta, in quorum uno passeris sorti invidet, cui cum puella ludere datum sit, et in sinu assidenti carum nescio quid libeat iocari; in altero eiusdem mortem dolet et tristissima suavissimaque laudatione eundem morte surreptum fletu prosequitur et lacrimis.

XXXVII. Carminibus aliis tranquilla ruris otia canere gaudet. Igniculis enim amoris inustus, vel diuturna corporis voluptate defessus, cum tristis gratam ruris beatitudinem repetat, silvas virentes easdem revisens, flumina, rivos, lacus, cacumina montium, quae puer primum conspexit, erigitur animo et, tristitia discussa, infinito prope gaudio exhilaratur :

*Carmina  
agrestia*

*Miser Catulle, desinas ineptire,  
Et quod vides perisse perditum ducas.  
Fulsere quondam candidi tibi soles,  
Cum ventitabas quo puella ducebat  
Amata nobis quantum amabitur nulla.*

*Carm., VIII.  
vers. 1-5.*

Ex hac rerum contemplatione suavissima carmina nata sunt, in quibus amoenitatem Sirmionis salutatur undasque Benaci lacus serenanti luce suffusas sub lenibus ventorum afflatibus, tamquam in tabula nitentes variis coloribus depingit :

*Peninsularum Sirmio, insularumque  
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis  
Marique vasto fert uterque Neptunus,  
Quam te libenter quamque laetus inviso,*

*Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos  
Liquisse campos et videre te in tuto.*

. . . . .  
*Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude,  
Gaudete vosque, o Lydiae lacus undae :  
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.*

*Carm. XXXI.  
vers. 1-6 et  
12-14.*

In carmine alio phaselum, quasi sui ipsius tristem et beatae ante actae vitae atque, ut nunc est, imaginem mirans, tempora recordatione repetit feliciora, quae in aeternum periire :

*Sed haec prius fuere : nunc recondita  
Senet quiete seque dedicat tibi  
Gemelle Castor et gemelle Castoris.*

*Carm. IV.  
vers. 25-28.*

Convivia et lusus cum amicis in aliis describit; sermonibus eorum atque sensibus familiariter usus, modo nugatorios versiculos fundens illudit, nunc per iocum et vinum mutua lepidissime reddit amicis; modo seipsum, tum convivas carpit et mordet, tum autem ab istis vicissim mordetur et carpitur :

*Cenabis bene, mi Fabulle, apud me  
Paucis, si tibi di favent, diebus,  
Si tecum attuleris bonam atque magnam  
Cenam, non sine candida puella  
Et vino et sale et omnibus cachinnis.*

*Carm. XIII.  
vers. 1-5.*

Hac praesertim facultate, qua infinitam naturae iucunditatem in se apprime persentit, non Graecis profecto modo poetis, ut Sappho, ut Alcaeo, propius accedit, sed recentiores etiam et patrum nostrorum memoriae poetas anteverit, qui contemplatione rerum, quibus convenientia et consensus mundi consistit, agrestem vitam agentes, aegritudinem animi atque maerorem ex pectore depellere et levare soliti erant.

XXXVIII. Ad genus aliud carminum, quod ex Graecis deprompsit, poematia tria pertinent, quae uno nomine epi-



*Epithalamia*

thalamia dicuntur. Nuptialia carmina haec sunt, nam in conubiorum celebritatibus continebantur. Primum, in nuptiis Manlii Torquati cum Iunia scriptum, ad speciem epithalamiorum spectat, quae ad prospera omnia viro virginique ominanda vesperi, cum sponsi cubitum irent, ad mediam noctem, respondentibus pueris puellisque vicissim, clara voce concinebantur. Secundum, quod intercisum et lacunosum manet, in numero illorum recensendum est, quae primo diluculo ante tempus surgendi pro thalami foribus cani consueverant, qua de causa « ὄρθρια » vocabantur. Tertium est mythicum, Pelei nam et Thetidis nuptiae in eo satis amplo quadringentorum octo versuum ambitu celebratur. In media re exornandi causa ad fabulam Thesei narrandam devertit, qui, Minervae iussu, Ariadnem in Dionysii templo reliquit. Quae fabula, tametsi necessario satius producat, cum epithalamium ad molle quoddam et quasi tenerum inflectat componatque festivitatem simul et dolorem, verecundiam simul et gaudia, quae puellis in nubentibus deprehendi plerumque solent, cum verborum lumina distinguatur, pictura quasi loquens nuptiarum habetur. Versus enim pro varietate sententiarum modo graves sunt, modo leves, modo inconditi, modo limati adeo ut, ad reddendos varios animi motus, flectantur et mirum in modum accommodentur. Propter laudes istas exemplar perfectissimum in hoc genere tum venustatis, tum leporis orationis, tum etiam mollitiae, quibus nihil suavius inveniri potest, a doctis hominibus, sive qui patrum memoria fuere, sive qui nunc sunt, carmen habetur.

XXXIX. Ex imitatione vero Graecorum duo alia poematia nata sunt, quorum primum « *Coma Berenices* » inscribitur, secundum « *Attis* ». Illud ex Callimachi poemate ad verbum fere elegis vertit, cuius argumentum in pulcherrimis antiquorum populorum fabulis habetur. Berenice, Cyrenarum regina, venustissimam comam, qua nulla umquam, cum incredibili copia capillorum, tum flavo inauratoque eorum

*Poematia ex  
fabulis  
Alexandrino-  
rum poeta-  
rum de-  
prompta*

colore, praestantior fuerat, Veneri dono hac condicione promiserat, ut eius ope ex Asia Ptolemaeus rex in patriam incolumis rediret. Cum res ex sententia evenisset, regina comam recisam, ut voverat, deae dicavit. At cum post aliquot dies haec, neque in templo, neque alibi, ubicumque quaesita fuerat, esset inventa, eamque vidisse negavissent quicumque de ea rogati essent, mathematicus quidam, astrologiae peritus, tandem eam inter caelestia sidera positam esse significavit eamque immutatam esse in illam caeli figuram, septem stellis distinctam, ostendit, quam etiam nunc ignitam Berenices comam appellamus.

Alterum poematum fabulam Attidis enarrat, qui mollis formae eximiae puer a Cybele deorum matre vehementissime amatur. Quam ut fugiat, in nemus Phrygium deae sacrum iturus, ratem conscendit, ibique ex deae sacerdotum more, acuto genitalia sibi silice abscidit. In feminae inde formam conversus furoreque correptus, niveis furens capit manibus leve tympanum, tremebundusque per nemora cum caterva comitum saltat tripudia. Ignobilis vitae eum tamen statim pertaedet, meditatusque fugam, si in patriam redire possit, litora petit. At Cybele, cognito Attidis consilio, leonem in eum stimulatam impellit, cuius visu puer demens iterum in nemora pavidus refugit, reliquam vitam miserrimam in feram indigne versus acturus.

XL. In carminibus, quae per occasionem et nullo fere argumento sibi ante proposito, pro variis animi perturbationibus in dies composuit, id genus orationis adhibuit, quod et levibus aptissime responderet rebus et a communi consuetudine non abhorreret. Simplicibus enim verbis et propriis et usitatissimis usus est, sub quibus tamen summam artem et elegantiam et venustatem celavit. Qua ex parte, non minus quam dissimilitudine sententiarum a Lucretio, quocum aequalis aevo fuit, quam plurimum distat. Hic enim, cum abstrusa et peregrina philosophorum inventa carminibus

*Orationis  
ornatus et  
lepores*



suis esset prosecutus, ut dignitatem illorum gravitatemque consequeretur, verbis Latinis idoneis ad illa exprimenda fallentibus, vocabulis dictionibusque Graecis sermonem patrium inquinavit. Catullus contra, cum in exprimendis intimis animi motibus universo hominum generi communibus versatus esset, orationem illam adhibuit, quae in cotidiano usu et consuetudine erat. Meliorem tamen eam fecit et propter poetica lumina, quibus distinxit, ad poetarum lyricorum artem mirum in modum accommodavit. Hac de causa a verbis antiquis obsoletisque abhorruit, si formas quasdam excipias, quae ne Augusti quidem aetate desueverunt. Gratiam, leporem, venustatem orationis in blandis appellationibus, molibus, delicatis invenit. Ita « *ocellos* » diminute pro « *oculos* » dixit; pro « *turgidos* » vero « *turgidulos* »; pro « *tenebrosum* » item « *tenebricosum* »; pro « *venustum* » item « *venustulum* »; « *flosculum* » demum pro « *florem* »; quae verborum minutiones quantum rebus levibus elegantiae afferant, quantum novis coloribus humillimas illustrent, nemo est qui non videat. At cum in aemulos aut in puellas invehitur, acerrimus factus, neque asperrimis, neque petulantibus, neque obscenis verbis se abstinet. Nihil tam fluens, nihil tam facile currens, quam illius comprehensio verborum; nihil tam purum, quam eius emendata et latina locutio. Numeri ipsi, modo brevitate pedum, modo proceritate, vel tardius, vel liquidius ad sensuum et sententiae celeritatem fluunt. Versus in carminibus varios quos adhibet, non omnes a Graecis primus desumpsit; genera tamen carminum, quae Sapphica et Asclepiadea dicuntur, vel primum ab eo importata, vel frequentata videntur. Artis suae sibi satis conscius, cum carmina per occasionem composita colligeret, hos in libro versus inscripsit:

*Quoi dono lepidum novum libellum  
Arida modo pumice expolitum ?*

Eademque carmina ad artem et rationem omnem limata et

perpolita ad Cornelium Nepotem cum mitteret a Musa precatus est, ut et immortalitati et posterorum famae committeret: *Carm. I. vers. 1-2 et 8-10.*

*Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est,  
Quaecumque: quod, o patrona Virgo,  
Plus uno maneat perenne saeclo!*

Neque eum spes fefellit; etenim, etsi Quintilianus eum ignoravit fere, non eum nos nunc unum e multis poetis, sed singularem eundemque venustissimum et politissimum habemus. *Quint. X. Inst. I. 96.*

## SATIRAE MENIPPEAE

XLI. Alterum satirae genus, mordacissimum quidem et multum ab illo, quod Lucilium primus invenit, cum dicendi genere, tum etiam rerum contextu diversum, M. Terentius Varro Reatinus coluit. Vir enim hic, quo, ex Dionysii Halicarnassei sententia, nemo unquam doctior, neque apud Graecos, neque apud Latinos vixit, praeter bibliothecam voluminum, quibus antiquitatis notitiam omnem commisit, satiras scripsit. Nunc tamen eius in poeticam studium, quod ad hanc operis partem pertinet, tantum videamus, alium in locum cetera, tum de eius vita, tum de reliquis scriptis remittentes. A satirarum igitur condendarum ratione, quam Lucilius secutus erat, cum discedere constituisset, Menippum, philosophum cynicum illum, sibi imitandum proposuit, quem epistulas, nenias, testamenta, alia huiusmodi iocandi ridendique causa scripsisse novimus. Huius rei autem testem Varronem ipsum produco, qui « *in illis veteribus nostris* » apud Ciceronem ait « *Menippum imitati, non interpretati* » sumus; haec ob causam cynicas satiras aceto et sale conspersas « *Menippeas* » appellavit. Quas ita conformavit, ut in una eademque, non versus et numeris et modis quam maxime diversos tantum commisceret, sed cum versibus orationem quoque solutam *Cic. I. Acad. 2.*



simul componeret; ex quo genus novum confecit, quo nemo ante illum usus erat. Satiras in centum quinquaginta libros distribuit, quorum singulis pro varietate rerum singulos titulos imposuit. Insigne hoc praestantissimi viri documentum, praeter pauca admodum fragmenta, quae ex grammaticorum notationibus eruta supersunt, lapsu saeculorum ex integro intercidit. Multos tamen satirarum titulos novimus, ex quibus, quae ipsarum materies fuerit, facile conici potest. At tamen, ne tabulam nudam conficere, aut longius a proposito digredi videamur, eorum hoc loco nonnullos tantum referemus.

XLII. Menippearum satirarum tituli novi sunt et iocosi ex duorum verborum compositione a Varrone facete formati, vel a proverbiiis aut abs Graecorum dictionibus deprompti. In illis et « *Bimarcus* » et « *Marcipor* » et « *Marcopolis* » sunt, quos sui ipsius nominis cum verbis aliis coniunctione excudit; his in satiris primarias partes se ipse iocose sustinentem induxit. *Bimarcus* enim idem sonat ac bis *Marcus*, *Marcipor* autem *Marci* puer seu servus, *Marcopolis* denique id idem ac *Marci* urbs. In istis « *Sesculisses* » et « *Oedipothyestes* » et « *Ajax stramenticius* » quoque sunt, quorum primus callidiorum, praeter consuetudinem *Ulixis*, hominem indicat, secundus vero poetam tragicum truculentiorum, qui atrocitates *Oedipi* et *Thyestae* in eodem viro composuerat, tertius vel eundem, vel etiam alium ineptissimum, qui *Aiacem* heroem vili e stramine fortissimum fecerat. Tituli alii Graecis dictionibus circumscribuntur; ut « Δις παῖδες οἱ γέροντες »; ut « Σκαραχχία » hoc est pugna umbrarum; ut illud notissimum dictum « Γνώθι σεαυτόν »; ut « Ταφή Μενέππου »; alii denique Romanorum proverbiiis vel facete dictis constant, in quibus « *Cave canem* » « *Cras credo hodie nihil* » « *Longe fugit qui suos fugit* » « *Di facientes adiuvant* » « *Mulum muli scabunt* » aliique, qui tempora sua Varronem momordisse indicant.

XLIII. Titulus alius verborum geminatione continetur ad numerum quasi concludentium « *Papia papae* » videlicet,